B. N. C.
FIRENZE
1060
17

Misc. 1060

17

MEMORIA
JUBILÆI
TUBINGENSIS
SECUNDI:

Seu

FONTIS VITÆ WIRTEMBERGICI,

Qualem

EBERHARDUS I.

Barbatus, Sapiens, ac Probus, fundando hanc Academiam, fodere ſe dixit,

CELEBRATIO;

IV. ORATIONIBUS

In

ACADEMIA TUBINGENSI, EJUSQUE AUDITORIO PRINCIPE, AULA NOVA THEOLOGICA,

d. 22. Oct. M. DC. LXXXI.

publicè ac ſolenniter

exhibita.

TUBINGÆ,

PRÆLO KERNERIANO.

1872

VIRO

GENEROSO, MAXIME STRENUO, MAGNIFICO, AMPLISSIMO, ET PRUDENTISSIMO,

DN. DANIELI WELSERO,

HÆREDITARIO IN Hürblingen/ Deſſertingen/ & Neüſſas/ &c.

IllUSTRISS. REIP. AUGUSTANÆ SENATORI, REI TRIBUTARIÆ PRÆFECTO, ECCLESIARUM A. C. CURATORI, COLLEGIIQUE EVANGELICI ADMINISTRATORI, ATQUE SCHOLARCHÆ GRAVISSIMO, MERITISSIMO,

Dn. Parenti, Mæcenati, atque Patrono, ſubmiſſâ animi reverentiâ perpetim colendo,

HOS

AD FONTEM EBERHARDINUM INVENTOS SUADÆ FLORES,

Humilitate, quâ debent, offerunt,

FILIUS, AGNATUS, CLIENTES.

1060·17

PROGRAMMA INVITATORIUM.

RECTOR

UNIVERSITATIS TUBINGENSIS

Lectori cum præfatione honoris Sal. dicit.

ADveram gratitudinem declarandam nihil æquè, ac voluntas, & memoria beneficii requiritur; imò ſola aliquando ſufficit, cum vires ſcilicet ad retribuendum deficiunt. Tum enim Seneca audiendus: *Vt omnium aliarum virtutum, ita gratitudinis ad animum tota æſtimatio redit. Hic ſi in officio eſt, quicquid deſuit, fortuna peccat.* Id ipſum, quemadmodum in humanis beneficiis ſæpe, ita in divinis ſemper obtinet. Quid enim DEO retribuamus pauperculi, cujus bonitas in nos eſt immenſa, infinita, perpetua? Itaque, quod omni in cultu ſuo, etiam in gratitudine à nobis ſibi debitâ, is exigit: *Da mihi, fili, cor tuum.* Non exiſtimo autem, quenquam inter nos eſſe, cujus animo *beneficÿ* magnitudo exciderit, *ante quadriennium, hoc ipſo menſe* nobis, *Academiaque* noſtræ, à DEO exhibiti; quando, nequicquam obſtante geminatâ PRINCIPUM morte, ſurgenteque inde luctu publico, frementibus adhuc circumcirca, noſtra per confinia, turbis ac procellis bellicis, obire nobis JUBILÆI SECUNDI SOLENNIA placidè & tranquillè conceſſit. Tendebat tum omnis FESTIVITAS, non tam ex more, quam pientiſſimo affectu, in DEI quidem præprimis laudem devotam: ſed & AUGUSTÆ ſimul DOMUS WIRTEMBERGICÆ, PRINCIPUMque ex illa, atque inprimis, *Principalis*, in hac *Dignitatis* AUTHORIS, *Fundatoris Academiæ*, EBERHARDI I. *ſuis cognominibus ſimul, ac meritis*, INCLYTI dudum, meritiſſima elogia; quin & *Academiæ* ipſius ſingulare, etiam ad poſteros, decus & ornamentum. Nec enim æqum videbatur, PRINCIPEM, ut aliis virtutibus, tanto faſtigio dignis; ita hoc etiam, *erectâ* inter nos *Vniverſitatis*, beneficio tam inſigni, ad omnem poſteritatem memorandum, ſecus ac omnium longo jam tempore Academiarum more & exemplo fieri conſuevit, ingrato velut ſilentio ſepelire. Qui ipſe cum vellet hujus tanti æſtimationem beneficii altiùs animis noſtris imprimere, *erigendâ* ſe *Academiâ*, VITÆ aliquem FONTEM *fodere* dixit; ſummum eo muneris pretium innuens, cum vitâ, quæ eſt complexus aliquis omnium bonorum, carius nihil univerſa mortalium ratio habeat. Et ſanè, ſi ab *Academiis*, tanquam *fontibus* quibusdam ubertimis ac perennifluis, præcipua, quæ vita noſtra novit, bona in omnem ſocietatem, ſtatum, & ordinem, mundi profluunt; vix convenientiùs, quæ animo putavit ſuo, DUX LAUDATISSIMUS eloqui, ac proferre potuit. Nam & Xenocrates eo ſenſu *artes*, quæ in Academiis docentur, *bonorum fontes* appellavit; quod vitæ nempe beatiùs ac tranquilliùs degendæ adminicula ſint cuncta iis accepta ferenda. Ut ergo *dictum* hoc ſapientiſſimum, per ipſam JUBILÆI, tum celebrati, *Solennitatem*, creberrimam omnibus dicendi ac judicandi, de ſumma EBERHARDI pietate, prudentia, ac beneficentia; deque fructibus & emolumentis Academiarum optimè conſtitutarum, anſam & occaſionem dedit: ita incongruum hactenus, vel ſuperfluum, minimè videbatur, FONTIS illius inexhauſti nunquam facilè deponere memoriam; ſed recordatione potiùs ejusdem aſſiduâ, laudibusque, ut licet, *Foſſori ejus, ac Fundatori Scholæ noſtræ Pientiſſimo*, EBERHARDO, DEOque, per ipſum, & cum ipſo, promeritas grates exſolvere: atque ita ſimilem facere, vel experiri, FONTEM hunc VI-

TÆ FONTI MEMORIÆ, qualem, cum *Fonte Oblivionis*, Plinius in
Bœotia, ad Trophonium Deum, juxta Orchomenon celebrat. Ut enim Fons
ille tam mira virtute eſſe dicitur, ut, quaſi ſubſidium aliquod, à Natura ipſa ſup-
peditatum, excitet in bibentibus, ac roboret, vim illam hominis Memorativam
aquis ſuis; quemadmodum ad ſuggerendam rerum oblivionem, cujus artem
olim Themiſtocles expetebat, ipſâ vi nominum, alter contrarium efficit: ſic
ipſâ dignitatis ſuæ, ac virtutis, conſideratione FONS hic EBERHARDI-
NUS, *Schola hac Inclyta, à Pientiſſimo, Sapientiſſimoque Duce fundata & erecta*, id
efficit in omnibus, ac operatur meritò, ut tanti muneris ac beneficii memoria
ex animo nunquam elabatur. Vim eandem, quam deprædicamus, in ſemet
ipſis quoque ſunt nuper experti JUVENES aliquot, *à Genere, Ingenio, Studiis
ac Moribus*, COMMENDATISSIMI, NOBILESque, quorum mox
Nomina ſignibuntur; qui, cum expenderent, rerum maximarum MEMO-
RIAM ANNIVERSARIAM uſitatiſſimam dudum omni in Hiſtoria
eſſe, haud abſurdum, ſibique inconveniens, fore exiſtimarunt, ſi FESTIVI-
TATEM illam SECULAREM, dicto tempore obitam, laudesque tum
NUMINIS divini, PRINCIPUMque, & ACADEMIÆ, celebratas, *hoc
ipſo tempore anniverſario, menſeque adeò, & die*, tantæ Solennitatis principe,
EXERCITATIONE quadam ORATORIA innovarent, ac repeterent;
atque ita JUBILÆUM JUBILÆO, Majori Minorem; Luci, umbram;
Voci clariſſimæ Imaginem & Echonem quandam, pro ingeniorum modulo
ſubjungerent & adornarent. Quod itaque Felix, Fauſtumque ſit, dicent at-
que exhibebunt *futuro die Sabbathi, die nempe XXII. Octobris, Feſti Anniverſario,
horâ antemeridianâ IX in Aulâ Novâ*,

MEMORIAM JUBILÆI TUBINGENSIS SECUNDI,
ſeu FONTIS VITÆ WIRTEMBERGICI CELEBRATIONEM:
& hoc quidem ordine dicent atque exhibebunt, ut

I. MARCUS CHRISTOPHORUS WELSER, P. A. Fontem hunc
ut *Sacrum & Cœleſtem* celebret:
II. CHRISTOPHORUS LAURENTIUS WELSER, P. A. Eun-
dem, ut *fructibus Fœcundum, & Perutilem* commendet:
III. MARCUS CHRISTOPHORUS MERER porrò, ut *Amœnum*
valde, *& Delectabilem* laudet:
IV. JOHANNES ADAMUS DASDORFF, Eundem denique,
ut *Glorioſum, ac latè Famigerabilem* extollat & dilaudet.

Zoroaſtres quondam, cum *animum alatum* eſſe diceret, interrogatus à Diſcipu-
lis, *quo pacto volucres animos ſortiri* poſſent; *Irrigate*, inquit, *alas aquis vitæ*: inte-
rim ſciſcitantibus, *unde has aquas peterent*, per parabolam more ſuo reſpondit:
*Quatuor amnibus Paradiſus DEI alluitur & irrigatur; vobis ſalutares aquas inde
haurietis*. Quod de Aquis Vitæ, Amnibusque Paradiſi, Zoroaſtres, nos de
FONTE hoc VITÆ EBERHARDINO quodammodo uſurpantes; SE-
RENISSIMOS nunc PRINCIPES, quibus, ut MAGNIS HOSPI-
TIBUS, mirum quantum *Aula noſtra primos ingreſſus gratulari* geſtit; ILLU-
STRISSIMOS item COMITES ac BARONES; ut & CORONAM
ACADEMIÆ CÆTERAM, quâ par eſt, ſubmiſſione, obſervantiâ, & of-
ficiorum promptitudine, rogamus, invitamusque, ut in gratiam JUVENUM
NOBILISSIMORUM, non *Patria* ſaltem, (quippe *AVGVSTANI* omnes)
ſed & *Sanguinis, Menſaque*, majorem partem, communione junctorum, ipsâ
Argumenti Auguſti ſingularitate commoti, Auguſtam & Honorificam præſen-
tiam clementer ac benevolè, ACTUI præſenti elargiri, Novisque JUBILIS
aquis Suffragatores eſſe dignentur. P. P. die XX. Octobr. Anno poſt partum
ſalutiferum Virginis M. DC LXXXI. à Celebratione Jubilæi Academiæ
Secundi IV. finiente.

MEMO-

MEMORIA

JUBILÆI TUBINGENSIS SECUNDI:

Seu

FONTIS VITÆ WIRTEMBERGICI CELEBRATIO.

ORATIO I.

Fontem hunc, ut ſacrum & cæleſtem, celebrans.

IUbilate DEO omnis terra; ſervite Domino in lætitia. Fas ſit, *Sereniſſimi Principes, Illuſtriſſimi Comites, Rector Magnifice, Cancellarie Digniſſime, Concio cætera, ſubjectiſſimo undiqueverſum, ac devoto cultu Veneranda*: fas, inquam, ſit mihi, iterare ac geminare voces has Sanctiſſimi Vatis die iſto: *Jubilate DEO omnis terra; ſervite Domino in lætitia.* Hic enim dies eſt, quo elapſo abhinc quadriennio, hæc ipſa pulpita, cathedræ iſtæ, *Principalibus* eloquiis, elogiisque, in laudem *Ter Sancti, Ter Venerandi & adorandi Numinis*, proconceſsâ celebrandi *Jubilæi* noſtri *Secundi Academici* gratiâ, reſonuerunt. Hæc feſta illa fauſtaq; lux eſt, quâ conſummare tandem digno apparatu, pompaq; haud erubeſcendâ, *Gaudia* hæc tanta, *atq; Jubila Solennia*, DUCIBUS DUOBUS, diu longumque meditata, ſed obitu utrinque triſti & inexpectato præventa atque impedita, licuit. Diximus tum, inter ſuaviſſima quædam Halcyonia, nondum ſopitis plenè planèque graviſſimis circumcirca Bellonæ incendiis, *Altiſſima* præprimis laudes debitas & hymnos. Mactavimus *Duces, Principeſque*, promeritis undecunque encomiis, quorum conſiliis, operâ & vigilantiâ, cimelium hoc Provinciæ pretioſiſſimum, gemmula hæc, & ocellus Sueviæ, *Academia*: non fundata ſaltem priſcis temporibus, ſed conſervata etiam eò usq;, dotibus opulenta, legibus integra, Viris ac pube Academicâ florentiſſima, fuit. Ne *Viros* quidem illos, qui pro artibus hîc bonis, earumque incrementis; qui pro incolumitate Eccleſiæ, Scholæque famâ, multo ſudore ac vigiliis excubuerunt usque, ingratâ ſepelivimus oblivione ac ſilentio. Ut ergo, poſt adornatum pridie nuptiale ſacrum, die poſtero veteres læta inſtituebant *Repotia*; ut meſſem opimam *ſpicilegia* quondam, dulcesque *racemationes* vindemiam, ſequuntur; ut *voces*, editæ inter concavas rupes, & loca confragoſa, jucundo quodam naturæ luſu reddi, repetiq; ſolent; qualis *Charentony* illa haud procul Pariſiis in decimam tertiam usque vicem ſonorum reſponſio à peregrinatoribus obſervari ſolicitè, ac deprædicari ſuperbè conſuevit: ſic probroſum, vel invidioſum, haud fore nobis confidimus, ſi peractam *die hoc anniverſario, Feſtivitatem* illam *Academicam* piâ quadam recordatione, utcunque paulò ſeriùs, grati lætique modò proſequamur; miſſa tum cœlo *Nominis divi*

ni,

ni, ac Fundatoris, & Patronorum Academiæ Prægorioſiſſimorum, præconia linguis utcunque infantilibus iteremus; atque ita, edita & conteſtata publicè de uſurpatione tam diuturnâ beneficii longè maximè eximii, *Gaudia Iubilaa echone* velut quadam blandâ, jucundâque, inter hæc ſubſellia repetamus, atque in venerationem maximè Summi in cœlo Scholarum Præſidis, & Conſervatoris, humili devotione innovemus.

Id quidem animo volvebamus hactenus; id toto etiamnum pectore meditamur. Cumque omnis noſtra illa *Solennitas*, poſt Sacratiſſimi Nominis Divini commendationem ſingularem, in *Ducum* maximè *Wirtembergiæ*, atque inter hos EBERHARDI I. *Eximium à Probitate ac Sapientia nomen adepti*, honorem perpetuum, fundatæque ab eodem, Scholæ gloriam immortalem, tetenderit hactenus, tendereque meritò porrò debeat: aptior huc res nulla videbatur, quàm ſi *dictionem* illam, modò memorati, *Laudatiſſimi Fundatoris*, quâ, jactis Academiæ fundamentis, *fodere* ſe FONTEM VITÆ dixit: *unde in omnes orbis terrarum angulos modo inviſibili hauriri ſcientiarum ac ſapientiæ unda ſalutares, pro reſtinguendo humanæ ignorantiæ ac cæcitatis igne peſtifero, queant*, Diſſertatione unâ atque alterâ evolveremus paullò altiùs; quoque cauſarum pondere *Scholam* Inclytam cum *fonte* tali ac ſcaturigine *Comes & Dux Prudentiſſimus* comparàrit, expenderemus. Ut verò ſcatebræ inſtar limpidiſſimæ noſtra quoque hæc fluat oratio, tam inſigni rerum argumento & elogio deſtinata, molliterque auribus veſtris bibulis, atque animis influat; eſt quod nos quidem vovemus, & enixe à vobis petimus: vos autem, ſi Clementiâ ſolitâ & benignitate has, illosque recludere nobis, & aperire fueritis dignati, ad deſiderium pariter noſtrum, laudesque veſtras, ingens momentum adferetis.

Mihi ergò, dum Scholæ noſtræ *Allegorica* hæc *cum Fonte Vitali aut vivifico ſimilitudo* conſiderandam ſe exhibet, indubitata quædam in eo *Sanctitas, ac Origo Cœleſtis*, affirmanda primò venit. Scilicet tale quid in fontibus etiam ſuis Ethnici quondam ac gentiles credebant; qui, cum aquarum uſus eximios in omni vitâ expenderent; *ex quibus* etiam *extitiſſe cuncta* Thales aſſeverabat; ne Pindari quidem immemores, cui *aqua optimum* eſſet dictum, ſuaviſſima lyræ carmina hinc exorſo: gratiam hanc fontium omnem Diis ſuis acceptam ferentes, peculiare ideò in honorem eorundem *Feſtum* quotannis, *tertio nempe Iduum Octobris, adeoq́; hoc ipſo menſe*, ritu certo obibant, à fontibus *Fontinalium* nomen ſortitum. Qua de re Scaliger Conjectaneis in Varronem de lingua Latina hæc annotavit: *Fontinalia fuiſſe ſacra, & ferias ejus inprimis fontis, cujus delubrum juxta portam Capenam fuerit; unde & ipſa Fontinalis dicta.* Et eâ quidem tum voluptate animi, ac hilaritate, Romani *Ferias* has obüiſſe leguntur, ut, quod poculis aliàs facere per Sympoſia ſolennia in more habuerunt, coronas fontibus injicerunt, puteosque feſto quodam coronarum ornatu cingerent, ac redimirent. Quin fontes ipſos, & capita inprimis fontium, pagani iſti univerſim *ſacra* habuerunt; quibus præeſſe *Nymphas* ſuas, ſubter aquis latitantes, putabant; peculiari quoque hinc nomine *Ephydriades* appellatas. Harum igitur munus eſſe opinabantur, ſi quem fortè fontem, utilemve aquam, excavatâ tellure, reperiſſent. Ac proinde ſacrificia his item ſua, eaque ex iis præſertim rebus, quæ ad guſtum pertinerent, offerebant. Religionem eam Ægyptii quoque, utpote gens circa Deorum cultum præ aliis occupatiſſima, ſunt imitati, qui plenas aquâ hydrias, ex more patrio, ante templa poſuerunt, quorum obtutu moniti, ſublatis in cœlum manibus, pro inſigni aquarum dono gratias Diis agerent. Vel annon par aliquid gentilitio iſti mori ſacræ literæ ſuppeditant nobis, ubi *inventis* fortè, *atque effoſſis* hinc inde, *fontibus* ſummopere gaviſos Sanctos Patriarchas, DEUMque ideo celebraſſe, legimus?

Cedant autem fictitia Ethnicorum Numina; procul abſit à templis ſimul noſtris, accordibus, omnis illa Genrilium ſuperſtitio: an piam ſaltem intentionem miſerè occœcatorum damnabimus? non approbabimus? non imitandam Chriſtianis ducemus? *Fundunt* Naturæ illi, èque terræ penetralibus occultè prorumpentes, *fontes*, (unde & *nomen habere* putantur.) aquas ſuas: ac proinde vel profanæ gentilitati tanto in honore ac pretio fuerint meritò; ſerta ſua & coronas pro ſingulari ornamento reportarint: iisdem ſplendidè emicuerint; ad gratitudinem Diis conteſtandam, ad ſacra & ſacrificia homines nullâ religione, nullo veri DEI cultu, imbutos, impulerint: & nos *Fontem* hunc *myſticum*; ſontem, gliſcentibus undique naturæ noſtræ penitus corruptæ, ac depravatæ, igniculis oppoſitum; fontem *ab inclytiſſimo Pientiſſimoque Principe*, inſtinctu Numinis prorſus admirando, elicitum, ſoſſumque; *fontem vitæ*, qualis eſt re verâ, dictusque ab *Autore Glorioſiſſimo* fuit; hunc, inquam, non magni adeò ſaceremus? ſusque deque haberemus? gratâ memoriâ, lætis plauſibus, feſtivis jubilis, dignum minùs duceremus? De ſonte quondam in deſerto, viam facientibus, Jacobi poſteris reperto, poſtquam congregari eò populum, aquis donandum, per Moſen Deus voluiſſet; jubila quædam impenſiora, carmenque, & concentum exultantis populi lætificum, memorant in ſacris Numeri his verbis: *Tunc cecinit Iſrael carmen iſtud: Aſcendit puteus; concinebant: Puteus, quem foderunt Principes, & paraverunt Duces multitudinis in datore legis, & in baculis ſuis.* Exultet verò item, & ad aquas refectionum cœleſtium uberiùs reſocilletur, Spiritus tuus, EBERHARDE *Beatiſſime, Ampliator* tuæ pariter *Familiæ, & publicæ felicitatis*, cujus animum mirâ inclinatione, *renum cordiumque ſcrutator DEUS* ſuſcitavit, ut *Fonte* hoc *Vitæ* non Wirtembergiam modò tuam, ſed Germaniam, ſed Europam latè, imò orbem, quacunque literarum ſe ſtudia cultusque proferunt, beares; unde ingenia juvenum ſiticuloſa aquis ſalutaribus ſapientiæ omnigenæ, quà præſentium doctrina, quà ſcriptis abſentium, ſuaviter potarentur ac reficerentur.

Equidem nec beneficii tam grandis, prorſusque inæſtimabilis, fructu omnigeno caruit diu patria, quæ reſloreſcere paulatim, poſt temporum priorum barbariem, artes elegantiores; tùm verò & inprimis, ipſas inter tenebras adhuc Pontificias, magis magisque unà cùm literatura meliori, promicare *auroram* quandam *purioris ex verbo DEI notitiæ*, vidit; vidit, & reparato *linguarum, Orientalium* præſertim per Reuchlinum, cultu, illuceſcere animis rectiores ſacrarum literarum ſenſus; & patere usque magis viam ad emendandos tot, tamque ſpiſſos, qui i fide & Eccleſia irrepſerant, errores. Quam nec obſcurè *Dux* ipſe, *ſupra laudem omnem poſitus*, agnovit & animadvertit; cui non domi ſaltem, paſſimque, ſed Romæ etiam, in ipſa regni Babylonici metropoli, cernere coràm effuſiſſimam Cleri luxuriem, ambitionem, tyrannidem, non ſemel ſuit datum. Quare & ipſe majori usque in diſciplinas liberales, atque in hoc, quod plantaverat, *Studium Univerſale*, exarſit affectu; nihilque in votis habuit magis, quam, eò usque ut extendi vitæ ſibi dies videret, dum Oecumenici alicujus Concilii perſpicacitate & beneficio, Eccleſiæ error furorque omnis tolleretur, fideique pariter, & vitæ, ſanctitas ad Apoſtolici normam præſcripti rediret. Sed, voto huic immortuus, *Optimus Princeps*, non Concilii quidem, quem optaverat, eventum, ſed *repurgatæ Religionis* univerſæ gratiam, poſteris, ac inprimis *Spectatiſſimis à fide in DEUM, & amore in ſubditos, Ducibus*, ULRICO & CHRISTOPHORO, impetrandam cœlitus reliquit.

Sane neque illud pro agnoſcendâ ſontis hujus origine cœleſti parùm facit, quod, cum ipſe fons iſte artibus bonis, ac diſciplinis, in omnes latè terrarum angulos promanet & ſcaturiat, *artium* iſtarum *ac diſciplinarum* prorſus *expertem Autorem* invenerit; ut quem cultu eàrundem à teneris illico tutores

ſui

ſui ac præfecti prohibuerunt. Quod ergo *Princeps* illiteratus; exules alibi, atque profugas, Muſas tam elegante domicilio excepit, hocque celebre pietatis ac ſcientiarum emporium mundo aperuit: cui, niſi D E O ipſi, ejusque ductui & ſtimulis occultis attribuemus; Nempe is idem, qui Patriarcharum *Scholas primigenias*; qui *Prophetarum* deinceps *Collegia*, populique electi *Synagogas*, in Debir, Bethel, Gilgal, Hiericho, ipſisque tandem Hieroſolymis; & poſt Apoſtolorum tempora, Scholam Alexandrinam, Antiochenam, Carthaginenſem, excitavit: hujus etiam Author primarius Fontis rectè perhibetur; Sator ſcilicet, Statorque & Propogator, omnis ſapientiæ inter homines, unicus, verus, maximus; cui neque inter Ethnicos, Ægyptiorum *Sacerdotes*, Indorum *Gymnoſophiſtæ*, *&* *Brachmanes*, Chaldæorum & Perſarum *Magi*, Gallorum *Druidæ & Semrothei*, Græcorum & Latinorum *Philoſophi*, Scholas ſuas & aſceteria; eorum plantationes & originem primam, abnuunt.

Jam; ſi puri limpidique conſervandi fontis hujus tot miniſtros *Viros Clariſſimos*, peregrè huc omnibus ex oris evocatos, eorumque egregios in religione, ac doctrinâ meliori fovendâ, propagandaque, labores; prioribus addamus; quid niſi divinæ nobis ſuppetiæ, divina undique benedictio; deprædicanda venit, & extollenda? Indictos hîc vos ſi dimitto, Nomina magna, *Schnepffi*, *Brentii*, *Beurline*, *Bidembachij*, *Hunnij*, *Heerbrandi*, *Haſenrefferi*, totoque numero, cœlitum jam choro inſertæ, *animæ ſanctiſſimæ*; quarum ſe operâ & ſtudio in foro Theologico ſaltem; (nam cæterarum Scientiarum & Facultatum carceres non ingredior,) uberrima doctrinarum fluenta hinc paſſim per orbem diffuderunt: credo ſanè, non tam argumenti gravitati; cui & ipſi imparem me profiteor, quàm meritorum magnitudini veſtrorum, adſcribere aliquis voler. Quid dicam nunc Viros *exteris Academiis*, *Aulisque*, promptiſſimâ *Ducum* liberalitate noſtris à liminibus tranſcriptos & conceſſos? quid ſtrepturis clam palamve, *ſectis & hæreſibus oppoſita*, graviſſima molimina & contentiones? An ſuſcepta, contra *minas* inprimis *ac fulmina Tridentina*, ſtudia; an prolata in *Thraciam* usque & *Croatiam*, & *Illyricum*, fidei hinc ſincerioris pomœria & commercia ſileri merentur? Sed & noſtro adhuc ævo, (præfiſcini dixerim!) quantum valeat latè incorruptæ & illibatæ *θεογνωσίας* famâ Academia hæc noſtras; quò, tanquam ad *Lydium veritatis divinæ lapidem*, recurri crebrò in Theologorum diſſidiis, & appellari ſolet; quantumq; contulerint induſtriæ *veteri ac moderni Doctores*, in ſaniori Orthodoxiâ tuendâ, dicerem facundiùs, niſi vel temeritatis, vel adulationis, culpam cenſor atque encomiaſtes intempeſtivus, incurrere vererer.

Liceat fontes hîc mihi quosdam, dum in elogiis *Eberhardini fontis*, & *illuminatione* potiſſimùm *ſpirituali* noſtrâ, & myſticâ, depromtis, verſor, allegare ex Naturalis Hiſtoriæ ſcriptore Plinio, qui *Leucogæos* primò, ſeu *Ciceronianos*, commemorat fontes, in Campania inter Puteolos & Neapolim ſitos; quibus *oculorum* inter alia *medela* nomen clarum conciliet; addit item *Apuſcidamum*, Africæ lacum, in quo *fluitent omnia, nihil mergatur*. Sint inde celebres hæ aquæ, famamque aucupentur ſeculi. An vero *Vitæ* illum, quem Eberhardo debemus, *fontem*, minoribus elogiis dignum, deputemus, qui & clariſſimam è Scriptura Sacra lucem mentibus noſtris affundit; nec ſubſidere eosdem terrâ intellectus caligine, ac mundi erroribus, ſinit? Sic enim Codex hanc in rem ſacer: *Præceptum Domini lucidum, illuminans oculos; teſtimonium Domini fidele, ſapientiam præſtans parvulis.* Fluant, ô fluant perpetuùm limpidi, illibatique, in Schola hac noſtra ſacri *Iſraelis fonticuli*; à quibus læti, nec mergi ſtygiis paludibus unquam metuentes, longùm laudemus, & cantemus: *Flumen DEI repletum eſt aquis; Fluminis impetus lætificat civitatem DEI; In Eccleſiis benedicite DEO Domino de fontibus Iſraël.*

ORA-

ORATIO II.

Celebrans eundem, ut fructibus fœcundum, & quàm maximè utilem.

INſignis eſt ſanè, & prorſus eximia, quæque ad laudem primum haud immeritò hactenus occupat locum, vis illa Fontis hujus, & efficacia, quam in *illuſtrandis verâ DEI cognitione mentibus* noſtris præſtat. Neque enim abſque ſerio ac ſincero cultu Numinis ulla, quò porrò tendit Fons iſte, acquiritur ſapientia; quippe, uti ſacræ hinc inde literæ teſtantur: *Initium ſapientiæ timor Domini*. Sed agite, in aliorum nunc porrò *uſuum & commodorum*, quæ fluunt ex hoc fonte, per omnem vitam noſtram varia, conſiderationem animos noſtros penetremus. Nec enim ſola eſt illa, quam dilaudandam nobis exhibet, ſpiritualis noſtra in rebus divinis illuminatio. Uti inter *Admiranda Naturæ*, myſtes hujus eximius, Ariſtoteles, *Fontem* quendam recenſet, qui in prato, juxta viam, Syracuſas ducentem, ſitus, nec amplus cæteroquin eſt, nec aquâ larga ſcaturit: ad eum tamen cum turba aliquando numeroſa confluxiſſet, *auctus deſubitò aquarum ingentem copiam præbuerit*: ſic ubertimam laudum atq; emolumentorum ſeriem nobis *Fons* iſte *Eberhardinus* ſuggerit; quæque circumſcribi, aut enarrari vix poſſint: imò quò perveſtigantur altiùs, ampliora inveniuntur.

Quanti namque hoc primò faciendum eſſe autumabimus, *Auditores*, quòd, erigendo Scholam hanc inclyram, *Eberhardus I. Fundator*, civibus ſuis, & *ſumtus* in mittendis extra patriam liberis non parum *minuere*, & verò *extra* certiſſimum *corruptionis diſcrimen ponere* eosdem, in animo habuit! Haud malè alicubi, Cicero: *Exteris in locis minor ad facinus verecundia eſt*. Eſt nimirum exempli vis mira in animis hominum, cùm ad virtutem, tum ad vitia, permovendis. Ad patriæ autem morem & amorem à pueris educari juventutem, reipublicæ maximè intereſt. Ne igitur, extra conſpectum parentum poſiti, adoleſcentes peregrinis fortè, iisque perverſis, moribus præpoſterè imbuerentur, talesque nondum maturo ſatis judicio in patriam reduces inferrent, cavere eo ipſo *Dux Prudentiſſimus Eberhardus* voluit. Agaſicles olim, miranti cuidam, quod avidus diſcendi, Philophanen Sophiſtam non adjungeret ſibi: *Eorum*, inquit, *volo eſſe diſcipulus, quorum ſum & filius*. Magna quippe vinculi vis eſt, quo parentes & liberos ipſa natura devinxit; ut nec, ad ſalutem quæ ſunt liberorum, iſti quicquam omittant facilè; neque hi, niſi degenerent admodùm, fidem & induſtriam parentum juſtis obſequiis fallant. Quòd ſi, cum aliis erudiendos commiſere liberos, officio ſuo ſe functos arbitrantur parentes, errant haud rarò. Etenim, quod in aliis quibusque negotiis, quæ curata rectè volumus, valet; *Oculus domini ſaginat equum*, in educatione liberorum vel maximè valet; atque, ut de agris proverbio dicere ſolemus, *eorundem ſterquilinium optimum heri veſtigia eſſe*: ſic, ut liberi ne exorbitent; ut fruge, & opimâ, virtutum pingueſcant quaſi, & fœcundentur, multò magis ab inſpectione ſuâ, & curâ, dependere parentes exiſtimabunt. Ab Eudico *duos in Heſtiæotide fontes* tradi eſſe, Plinius jam allegatus commemorat, *Ceronem & Melan; ex quorum altero bibentes, oves nigræ fiant; candidæ autem, ſi ex altero biberint; ac variæ inſuper, ſi ex utroque*. Imago, niſi fallor, hæc eſt omnis inſtitutionis, quæ ſi rectè ſe habet, ſolertes, & ad omne officium aptos, & idoneos reddit juvenes; ſi minùs, improbos facit, & degeneres; ſi ſit autem quaſi miſcellanea, verſipelles quoque eosdem, atque in vitia pariter ac virtutes proclives generat & producit. Dignam ergo ſuis inter alia præconiis prudentiam

Eberhardi judicemus, qui, ut rectiùs educationi juventutis conſuleret, domi potiùs, atque in oculis parentum, ad juſſum nempe horum quemvis & exempla, quàm peregre, majori, non ſumtu ſaltem, ſed & periculo, erecto *Studio* hoc *Generali*, fieri eam voluit.

Jam ipſa porro *bona*, quæ, poſt illuminationis divinæ gratiam, perpetuis, iisque plenis velut alveis, in patriæ incolas, exterosque omnes, noſtro ex fonte redundant; tot nempe ſcita & dogmata præclàra, tot *artes ac ſcientias omnium Profeſſionum*, quis dignè collaudet, vel expendat ſaltem pro merito? Jactent aurea fluenta, gemmisque & unionibus abundantia, Thracia, Lydia, Hiſpania, India; manent alii fontes oleis & balſamo: quid ſimile noſtri fontis muneribus dabunt? *Literaturam & doctrinam omnis vitæ inſtrumentum* Tertullianus nuncupat; eandem *fortunatis ornamentum*, *infortunatis refugium*, Democritus dixit: hic idem *non minùs*, *quàm aurum*, *eam ubivis terrarum in pretio eſſe*, affirmabat. Denique *pulcherrimum animal hominem eruditum Socrates*; eundem autem, *animo eruditum*, *& corpore ſanum*, *feliciſſimum*, Thales Mileſius, perhibuerunt. Quicquid ergo veritatis ac ſcientiæ, quicquid prudentiæ & virtutis, ad veram animi beatitudinem & tranquillitatem, omni in vitæ parte, conditione, aut ſtatu, deſideratur, hinc hauritur. Quatuor hac in Schola Facultates cum in mentem veniunt mihi, *quatuor Paradiſi flumina* dixerim, ex hoc *Eberhardi fonte* progredientia. Habent flumina Paradiſi ab auro, & pretioſis lapidibus; ab ambitu item vaſto, & admiranda amplitudine, laudes ſuas. Facultatum verò iſtarum fructibus & emolumentis ſalutaribus, inexhauſtis, immenſis, tot latè provincias quis ditari ac locupletari diffiteatur? Putes, Oceanum quendam eſſe, bonis incomparabilibus & divitiis terram omnem ambientem. Ut non ſine omine fauſto *Naucleri* quondam nomen *primus Academiæ Rector* geſſerit; de quo Flayderus, haud illepidus ſuo tempore hujus Univerſitatis Poëta:

Poſtquam paſſa Notos Academia, paſſaque fluctus,
Se vidit dubia Navis obire viam:
Nauclero primùm meritò ſe credidit, & jam
Omnis Naucleri munera Rector habet.
Quare, ô Naucleri, ô Rectores, vivite cuncti,
Et bene per rapidos ducite vela Notos;

qui ipſe de eodem argumento aliter hoc duplici Diſticho:

Noſtra poteſt meritò felix Academia dici,
Quæ velut ipſa feras æquoris intrat aquas.
Ipſos Naucleras Rectores eligit; ut jam
Nauclerum, Rector primus & imus agat.

An juvat autem his in Facultatum commodis ac beneficiis diffundi latiùs, *Auditores*? earum, quas præſtant, opes & theſauros quaſi per ſatyram porro intueri? Ne *Theologiæ*, quæ viam cœlo monſtrat, animæque curam & ſalutem curæ habet, ulteriora poſt Orationem ſuperiorem hîc inſerantur elogia: *juſtum* in iis primò omne, rectumque, & fas, quaſi in Solis menſa *Iurisprudentia* ponit; hæc contra, injurias, fraudes, &, iniquum quicquid redolet, detegit; quâ ſine, an habitari rectè ac feliciter domus ulla, aut ſubſiſtere civitas, poſſit? *Sardiniæ fontes* quosdam, *ad coarguendos fures* aptos, Solinus memorat. Illorum enim *undis fontium ſi oculi tangantur*, *cæcos reddi illico*, tradit. Hæc æqui bonique ſcientia non in unius ſaltem perveſtigatione criminis occupatur: ſed in omni honeſto pariter ac turpi, in legum præceptionibus & interdictis, in diſcrimine præmiorum & pœnarum, ſedulam ſe indagatricem arbitramque præſtat. *Sanitate* ac firmâ corporis valetudine an præſtabilius quicquam Natura ipſa novit? Hoc tantum, tam inæſtimabile, bonum, quodque primum ſemper eſt habitum, *Medicina* tribuit; ſuæ vult liberalitati ferri acceptum. Quod ſi ergo *fons* ille

apud Æginenſes circa templum Cereris maximâ in celebritate eſt, quod, in eum *ſi poſt peracta ſacra deſpectent, ægri convaleſcant illico, vireſque recuperent:* quantum gloriæ, quantum honoris & dignitatis, etiam noſtro huic fonti debebitur, quod in tuendâ pariter valetudine, ac tollendis pellendisque morbis, per Naturæ miniſtros, quos Univerſitas complexu ſuo fovet, Medicos, pari virtute pollet? Sed & *Sapientia* hîc univerſæ myſteria ſi perquirere, arcana rimari, ſcita addiſcere, cupias; via mediaque ſuppetunt. Quanti verò hæc, pars, ac ſumma, dicam? mortalium boni! Tanti, ut antiquiſſimus, isque divinus usque nuncupatus, Plato ſeculorum omnium conſenſu, ſtatuerit dudum: *nullum malorum finem priùs futurum, quàm aut rectè veròque philoſophantes ad rempublicam accedant; aut ij, quas penes Magiſtratus ſunt, verè ſanctèque philoſophentur.* Quo nomine exæquare *Vita* hunc *Fontem* licet alteri duorum fontium, quos *in Fortunatis Inſulis* Pomponius Mela eſſe perhibet, ea virtute ac indole, ut, *ex uno* quidem qui guſtarit, *riſu in morte reſolvatur; ex altero* autem *affectu remedium* detur. Quid enim niſi *error*, & *veritas*, iſtis fontibus ſignificantur; quorum *ille necat mortifero plane poculo; cui ſola Philoſophia, veritatis limpidiſſimum poculum inſtillanda, medetur?* Quin; cum ſapientiæ ac Philoſophiæ dono, arctiſſimo nexu, & ſororio quaſi vinculo, *Philologia ſeu Eloquentia* cohæreat, cujus adminiculis ſi deſtituatis, quicquid præclaræ cognitionis & doctrinæ impreſſeris animo, opes terrâ defoſſas, aut ferrum aſſimilabit, vaginâ reconditum: ne hujus quidem haurire hîc cultum & flumina non erit integrum. Igitur neque hoc inter beneficia Scholæ poſtremum accenſebitur, *Divo* quondam *Autori & Fundatori* acceptum referendum; ſtudia nimirum Eloquentiæ, eorumque cultus, flos & vigor. Ubi iterum *fons* ille *Epiri* occurrit, quem Naturæ conſulti referunt *faces extinctas accendere, extinguere accenſas.* Nempe & Eloquentia inde ab Iſidoro commendatur, quòd *accendit frigidas, accenſas verò extinguit.* Cujus rei documenta crebra in populo ſumere licet, qui &, cum languet, dictione incitandus; & freno quaſi coërcendus eſt, cum fertur effrenus, & immoderato impetu. Quæ omnia bona tanta ac beneficia cum animum ſubeunt, recogitanturque, amœniſſimis doctrinarum rivulis in omnes vitæ noſtræ actiones, uſusq;, ab hac Univerſitate, atque iis, quos recenſui, Facultatum & Doctorum, ordinibus diverſis, derivari: quæ non encomia iterum; qui non laudum cumuli; & famæ celebritas, in *Divum Eberhardum Autorem* meritò redundabit?

Quanquam Tubingam hanc maximè, *totamque Wirtembergiam*, præ aliis terrarum oris ac provinciis, iſto laudum dicendarum nexu, vinculoq; gratitudinis meritiſſimæ, *Dux* ſibi *Beatus* habet obligatam & obſtrictam. Utcunque enim aliorſum quoque, & in omnem circumcirca viciniam, gentesq; finitimas, tantæ felicitatis ac beneficentiæ flumina exeant: majori tamen cumulò fructuum, atque ſic alveis uberioribus domi, atque in hoc ipſo oppido eadem reſtagnant. Quod cum primâ origine vix oppidi nomen meruerit; fontis hujus, atque Academiæ beneficio & commercus, tam longè prolatis, eum ad ſplendorem, nominisque decus, perductum eſt illico, ut vetuſtis illis ac primigeniis artium ac ſtudiorum officinis & emporiis, Tarſo, vel Antiochiæ, Berytô, Alexandriæ, Athenis ipſis Atticis, cur cedat, vix habeat; ipſeque amplitudinis tantæ Autor jure dicere potuerit, quod de Roma olim Auguſtus, *marmoream ſe relinquere, quam lateritiam accepiſſet.* Nam de alimoniâ civium, cenſuque, accreſcente ab affluxu peregrinæ Pubis, cur plura commemorem? Siquidem & Politici omnes in hoc conſentiunt, inſigne exornandæ atque amplificandæ urbis adminiculum inter alia Univerſitatis acceſſionem eſſe.

Quod ſi ea propter *ad fontes habitare*, præſertim mundi primâ ætate, cum rariores adhuc eſſent illi, commodum ſemper atque opportunum fuit viſum; utpote quorum lymphæ culinis, poculis, pecoribus, munditiei omni; quin &

navigationibus, cum in flumina majora ſe diffundunt iſtæ, inſerviunt: nemo opinor, erit, qui, vel acceſſuris peregre ad hunc tam inſignem *Vitæ Fontem*, Studioſis Juvenibus diſſuadere hîc hoſpitium; vel nobis etiam, ob eximia, quæ præbet undique fons iſte, commoda, beneficia, & utilitates, invidere, quas dicimus eidem, porroque dicturi ſumus, laudes & elogia volet.

ORATIO III.

Eundem, ut amœnum valde, & delectabilem, commendans.

IMò præconiorum vim omnem, & facundiam, commoda hæc tanta & emolumenta, quæ enarraſtis, *Suaviſſimi Collegæ*, longè exſuperant. Age autem, dum novum ſe laudis in eodem Fonte incentivum, mira nempe, quâ arridet undique, *voluptas & amenitas*, oggerit; alacriori haud minùs ſtudio & attentione eandem conſideremus. Et ſolent quidem, ipſo Naturæ quodam more & ordine, fontes, ſi qui ſint præ cæteris conſpicui magis, & celebres, per reductas fortè valles, nemorumve, aut alios locorum receſſus, arborum ac pratorum viciniâ viridi; ipsâque undarum, exilentium ſuis ex latebris, aut decurrentium, voce garrulâ; aut concentu avium, minurientium, quiritantium, perſtrepentium, totque carminum jucundo certamine; vel potu denique ipſo, ſuaviſſimoque laticum nectare, blandas delicias facere; quem in modum & Maro modulatur fiſtulâ arundineâ in Bucolicis:

Quale per æſtum
Dulcis aqua ſaliente ſitim reſtinguere rivo.

Sed, quicquid voluptatum amœniorum, etiam delicatiſſimis in fontibus, aut Natura magiſtra exhibet, aut æmula vatum ingenia, Horatii in *Blanduſia*, Sarbievii in *Narviâ*, alii in aliis, fingunt: nihil ad veras has, ſolidasq; & conſtantes, *noſtri Fontis* delicias adferri comparandum, vel adduci usquam poteſt.

Sinite autem à *loco* primùm, quem delegit fodiendæ ſcatebræ, *fonti* ſuo, *Foſſor & Fundator Scholæ Inclytus*, *Eberhardus*, ſagacitatem *Ducis* & prudentiam denuò mirandam ac deprædicandam ſiſtam. Nam & Politici, qui in urbium extruendarum requiſitis facundi ſunt admodum, minimè quemvis locum Academiæ extruendæ idoneum; ſed ſalubrem, quietum, amœnum, feracem; in quo parabilia ſint omnia, cujusque ſint incolæ item humani & hoſpitales, eſſe ajunt. Videamus ergo, *Tubingæ* noſtræ commoditas & amœnitas an conſilio fodiendi fontis, erigendæque Academiæ, quicquam reſponderit. Scilicet Helicones ſuos & Parnaſſos Muſæ deſiderant: Caſtalium & Aganippen amant. Tenui ſunt olim cœlo acutiores Attici; craſſo autem & minimè ſubtili ſtupidiores Thebani uſi. Tubinga autem, ſi in talibus encomiis primas ultrò affectat minùs, à primis tamen haud longè remotum ſeiri, certò confidit. Aër ſanè, unde *ſalubritas* maximam partem pendet, adeò purus hîc, & incorruptus, eſt, ut loci delectum Eberhardo ipſi, quondam ægrotanti, Medici ſuaſerint. Platoni olim, cùm valetudinis ergo, præ Academia, Medici Lycæum ſuaderent: *Ego*, inquit, *producendæ vitæ causâ ne in Atho quidem ſummitatem migrare velim.* Dux verò noſter, obſecutus tum ſuadentibus Medicis, & gloriam *mortis* ſuæ invidere Tubingæ noluit, & ſalubritatis teſtimonium exemplo confirmavit. Nullæ hîc cœnoſæ paludes; nulla aquarum quieſcentium pigrities aut torpor. Nulla maris fluminumve longo ſitu, aut ſordibus, contracta putredo; nulla exhalationum triſtium infectio. Ipſis auris montanis, ſuper quibus majori ex parte oppidum ædificatum eſt, facilem in ſubjectas valles,

les, pro ventilando ambitu univerſo, tranſitum præbent; unde & raræ hîc peſtes, aut contagia, infeſtaſſe ac funeſtaſſe cives compertæ ſunt. *Amœnitatem*, cum qua conjuncta ſalubritas, admirabili rerum varietate ac temperamento, ſylvæ, montes; aquæ, fontes, horti, vineæ, camporumque, & pratorum viridantium, aut flaveſcentium, planities, quaſi in ſcena & theatro oſtentant. Monte *Anatolico* quid pulchrius? Quid Nicri, Ameræ, Steinlaci, fluentis lætius?

Mons ille inprimis, quem, quia ad dextram, atq; ita Orientem, ſitus, *Orientalem*, ſeu Anatolicum communi nomine dixi, (ſi deſcribi hunc paullò explicatiùs, *Auditores*, ferre poteſtis;) hic, inquam, mons pulcherrimæ inprimis à natura rerum viciſſitudinis faciem præ ſe fert; numeros fertiliſſimæ jucunditatis omnes abſolvit. Cornucopiæ quoddam rerum omnigenarum dixeris; quibus fundendis, ac parturiendis, ipſa amplitudo deſervit. quippe qui ad vicum usque *Luſtnavienſem*, per ſextam ferme milliaris Germanici partem porrigitur. Quam amplitudinem declivitas auget, à cacumine ſat alto profecta. Ad *meridiem* ille, quà Nicrum attingit, cultiſſimis vineis per totam ſui longitudinem veſtitus eſt. In oppoſito, *Boream* verſus, latere prata & vineas quaſdam; in partibus autem intermediis, hortos, prata, agros, latumias, habet. Habet in lateribus inſuper fontium ſcaturigines; paſſimque lepores jucundæ venationi obvios alit. Monti huic Orientali ad *Occaſum* alter opponitur; juxta ipſam arcem Ducalem; collis *Noctuinus*, à noctuarum frequentia dictus. Quorum porro montanorum, ſatis longorum, pars Meridionalis, infra quam Nicer fluit, perpetuò vineis exculta eſt; cujus clivus quidam, arci vicinior, *Palatinus*, (voce Germanicâ Pfaltzhalde/) nuncupatur; ſine dubio, ab hac ipſa arce vel Caſtello, quod *Illuſtrium Palatinorum Tubingenſium* quondam ſedes fuit. Mediam partem, quæ longiùs ab oppido recedit, nemus amœnum occupat. Ad horum verò montanorum finem, trans vallem, Occidentem verſus, *Wurmlingenſis* mons ſimul & pagus eſt. Unde haud longè porrò, uno à Tubinga noſtrate milliario, oppidum *Rotenburgum*, idque bipartitum, amœnâ in planitie jacet.

Quod ſi jam ab oppido noſtro Occidentem, & pagum *Ieſingam*, petas, vallis Amerana occurrit, amœna & ipſa; nomen ab *Amera* rivo, ſupra dicto, habens; qui, percurſo pago, juxta murum Tubingæ in Nicrum defertur. Rurſusque, ſi Aquilonem verſus, portâ Luſtnavienſi exeas, *Eſslingam & Stutgardiam*, hanc Ducatus Metropolin, illam Imperii urbem, petiturus; (quæ ternis ſingulæ hinc à Tubinga milliaribus, & inter ſe uno milliari, abſunt) non ità longè progredienti obvia Bebenhuſana vallis, ipſaque *Bebenhuſa*, Monaſterium ſat ſplendidum, ſemimilliario à Tubinga diſtans, ſiſtetur.

Sed nimiùm, quæ extra ſunt oppidum, detinent nos hactenus; quod cæteroquin dignitate poſt Stutgardiam proximum eſt. Nam neque *vallem* adhuc *Neccaricam*, quà fluvius hic ipſe binominis, (ſive *Nicrum*, ſive *Neccarum* dicere velis,) mœnia oppidi lambit; neque alteram *Steinlachianam*, à torrente, etiam ſuperiùs citato, denominatam, tetigi; in quam utramq; ab Academia, quæ partem oppidi ſuperiorem occupat, jucundiſſimus latè proſpectus datur; obviis ſimul conſpectui & obtutui uni quatuor pagis, *Derendinga*, *Wila*, *Kilsberga*, *Bila*; quibus exiguo trans flumen intervallo *Hirſavia* adjacet. Adeò ad amœnitatem oppidi nihil deeſt; multa ſuperfluunt: ſi partibus præſertim, ſupra jam recenſitis; tot inſuper pagos; quales recenſeo; ſi Cœnobium ampliſſimum, urbesque, annumeres. Dicuntur *vino fontes manare* nonnulli: nosque per Solennia Electionum ac Coronationum Imperii, ſucco hoc Deorum manare aliquando fontes artifices videmus. Quid obſtat, quò minùs ſimile aliquid de fonte Eberhardi, de Academia, oppidoque adeò univerſo celebremus; ubi *Bacchus* ipſe, *cum Cerere & Pomona, poſt Divam Palladem*, ſedes quaſi ſuas delegiſſe, totoque ſinu effudiſſe ſuas divitias Natura videtur?

Veniam autem ſpero indubiè, ſi quid, *Auditores*, juſto loquacior de amœniſſimo argumento, de amœnitate nempe loci, ad foſſuram fontis ſui ab Eberhardo delecti, peccavi hactenus. Emicat hinc indubiè prudentia ſingularis *Principis*, quam nec ſperatus inde ſucceſſus felicior quicquam fruſtratus eſt. Etenim, ſi inſpicere album Academiæ, & matriculam volemus; non cœtus ſaltem numeroſos inde usque à primordio Scholæ appuliſſe huc ſemper ſtudiorum gratiâ deprehendemus: ſed eâ etiam voluptate loci adeò ſimul delenitos fuiſſe, ut, quaſi loto aliquâ Homericâ guſtatâ, difficulter ſedem mutaverint. Scilicet nec mutationis cauſam ſupereſſe facilè, præclaris inſtitutis & legibus *Laudatiſſimus Fundator* voluit. Ipſa quidem *annona*, ſuppetente rerum proventu ubere, fere tolerabilem ſe præbet: nec menſæ proinde difficulter omnigeno dapum apparatu inſtruuntur; unde nec pretia convictuum grandeſcunt facilè. Quare evenit illud, ut, quoties diſceſſum hinc faciunt, *Studioſi hoſpites*, non niſi, vel cum laude ubertatis noſtræ, vel cum deſiderio relictæ copiæ atque abundantiæ, diſcedant. Nam & *quieti publicæ*, otioque tranquillo, quo ſine nullæ bene habent Muſæ, conſultum à prudentiſſimo Fundatore ordine bono & Statutis, proſpectumque ſatis eſt. Inquies ſanè illa, majorque tumultus, qualem oppida celebriora & emporia ferè comitem habent, omnesque otii honeſti remoræ, procul hinc abſunt. Gaudent ſuâ tranquillitate privati lares; gaudent vici publici. Suppetunt inde, & privatim, familiarium ſtudia, operæque ſubſidiariæ; hinc, & publicè, ſuppetunt excubiæ cenſura, &, cum eſt opus, ſevera animadverſio. Non timeas à domeſticis exhauriri nimio utenſilium pretio, neque lucripetarum rapacibus inſidiis. Securitatem cavent omnibus leges & ſtatuta communia, quibus ſua ſingulis munia injuncta, curæ ſuæ præſcriptæ; ne *Senatu* quidem ipſo *Academico*, à lectionum operarumque ſuarum, in Diſputationibus, Orationibus, Collegiis privatis, neglectu & examinibus, eximio. Quid? ipſa Corpora, quibus diverſis inhabitatur oppidum, arctioris diſciplinæ vinculum idem obſtringit; eædem ſanctiones & Statuta obligant; quæ ut ſerventur exactiùs, timeantur, teneanturque accuratiùs, prælegi quotannis bis in templo, præſente Magiſtratu & Civibus, ſolent: ne quis, ubi ad examina delinquentium, mulctamque definitam, eſt procedendum, ullo ſe munire, aut ignorantiæ telo, aut velo erroris, poſſit. Hincque adeò, ut, Solino teſte, contra venenum ſolifugæ (eſt enim animantis ejus morſus mortifer) fons quidam Sardiniæ à Deo conditus eſt, ut, ubi oritur malum, ibi quoque in promtu ſit remedium: ſic hâc ipſâ in Univerſitate, ubi indecori quid committitur; in delinquentes illico eſt animadverſio.

Atque ita non quietè ſaltem, ſed *jucundè* etiam, & perpetuâ quadam cum oblectatione, ac voluptate animi, bonis hic literis incumbendi Studioſæ Juventuti poteſtas datur: urgentur ejusdem ſtata velut & aſſidua quotidie exercitia; ſpecimina profectuum, & documenta usque egregia eduntur: ſicque *eruditio & doctrina*, quæ Nazianzeni ore, *omnium bonorum primum* eſt, ſtudio alacri & induſtriâ acquiritur & propagatur: exemplis ipſis ſtimulos invicem, & anſam æmulationis, undique præbentibus; ferventibus nempe, hinc Naturalium, inde Supernaturalium; hinc Moralium, inde Civilium; hinc Juridicarum, inde Medicarum ἀκροάσεων ſolertiâ, Auditoriis. Nec enim literariæ converſationis mox à teneris exigui fructus ſunt, ut quâ & amicitiæ, in ætatem provectam duraturæ, fundamenta jaciuntur; & literatura melior, bonique mores, velut honeſto quodam ac ſalutari contagio, magis magisque proferuntur: ut, præparata ſic in umbra quaſi, & proludiis perpetuis, optimè nata, ingenia in luce tandem ſuâ, & theatro quaſi vitæ civilis omnium generum, ad virtutem ipſam, totque munerum functiones laudatas, ſint tantò expeditiora. Ut enim Himeræum fluvium plagæ cœleſtes mutant, quia natus

rus ſcilicet eſt, cum in Aquilonem fluit; dulcis, ubi ad meridiem flectitur: ſic vita hominum omnis à conſuetudine aliorum, & exemplis, laudem atque dedecus accipit. Quâ de re nervosè & eleganter ſuo more Seneca: *Quantum conſuetudo poſſit, intelliges, ſi videris feras quoque convictu noſtro manſueſcere, nulliq; immani beſtiæ vim ſuam permanere, ſi hominis contubernium diu paſſa eſt.*

Accedit comis ipſorum *Profeſſorum convictus*; ſingulare in commiſſos fidei ſuæ ſtudium; quos, verè ad mentem Fundatoris Eberhardi, *non aliter ac parentes liberos*, amant. Quâ humanitate capi faciliùs efficaciùsque mentes generoſæ, quàm vi, aut metu, ſolent. Nam certè & veterum id erat de felici informatione judicium, ut,

> *Cum præceptorem ſancti voluere parentis*
> *Eſſe loco,*

non filiali ſaltem affectu, amore, & obſequiis, præceptoribus diſcipulos, ſed & fide mutuâ, ac paterno ſtudio his illos eſſe obligatos, innuerent. Jam & illud, quod vulgò dici ſolet, haud parvi ſane ducendum: *Viva vox docet*; quippe major usque vis præcepti eſt, quod ab ore magiſtri præſentis capitur, quàm quod ex demortuorum monumentis. Sed tamen neque hoc Senecæ iterum effatum fide & aſſenſu indignum: *Præcepti vim obtinet, frequenter aſpici; etiam occurſus ſapientum juvat; & eſt aliquid, quod ex viro magno, vel tacente, quis proficiat.* Unde, tot mediis invitata & inſtructa, diligentia, quid mirum, ſi eximios usque & usque ſumit profectus, inque arcana Sapientiæ omnigenæ novis, iisque ferventioribus, ſemper, ſtudiis exardet? quæ ſane quantò perquiruntur magis, majus excitant ſtudium, magisque perquiri amant; non ſecus ac Polycriti ille lacus, quem ex ſcriptore hoc Ariſtoteles in Admirandis citat, in quem ſi quis lavandi gratiâ ingreditur, extenditur in latum; magis autem dilatatur, ſi id ipſum iteret.

O ergo & hinc Fontem tuum, *Glorioſiſſime Dux, Eberharde*, teque adeò ipſum, & perſpicacitatem tuam, ſummâ laude, præconiis æternis, digniſſimam, quod, videns, quàm *amaræ* ſint de cætero *eruditionis*, quales Iſocrates affirmat, *radices*, edulcare hanc amaritudinem effoſſo illo Fonte ſuaviſſimo, nec unquam ſatis deprædicando, totque exinde ad nos profluentibus beneficiis, voluiſti! Fluant tantò limpidiora ideò, etiam per hæc Academiæ tuæ vireta, perque ora omnium Academicorum, nominis tui perpetim elogia, quantò arctiùs iſthoc beneficio omnem literaturam tibi, ipſe illiteratus, obligaſti.

ORATIO IV.

Fontem denique hunc, ut glorioſum, ac latè famigerabilem, extollens & dilaudans.

AN verò ullius nos moræ, aut prolixitatis, tædeat, *Optimi Commilitones*, in apparatu laudum, pro Eberhardino Fonte ſuſceptarum; quibus tam ſplendidè nihil, tamque magnificè, dici poteſt, quin ex dignitate ſit ejus? Fontem quendam Inſulæ *Saxoſæ*, non procul à Laodiceæ littoribus ſitum, Strabo commemorat, in quem immerſa vaſa, hauriendæ aquæ causâ, ſalſam primò hauſtu trahant, eamque maritimam; reliquo autem hauſtu dulcem & potabilem. Non aliter Fons hic noſter Eberhardinus, undis illis veræ religionis ac ſapientiæ, amaris quidem primò; reverâ autem gratis tandem, longèque ſuaviſſimis, ſcatet; quæ quò conſiderantur magis, magis usque dulceſcunt, & delectant. Nec proinde hâc quoque, quæ *Secundi* illam Feſtivitatem *Iubilæi* quodammodo iterat, *Memoriâ* indignus cuiquam videbitur. Quin omnium is præconia, vocesque ac laudes continuas, haud immeritò ſibi de-

bi depoſcere eſt exiſtimandus: atque, ut in Æſculapii gymnaſio fontem, oleo manantem, aureo fornice Heraclides ornaſſe legitur; ſic ille non tam auri, quam mentium piarum cultu & devotione, in ſecula volet exornari ac celebrari. Enimverò neque oleo iſte, vel lacte & melle, quali Palæſtina fluxit; neque auri ipſius ramentis integris, qualia Pactolus, Hermes, Tagusve, aut omnes chryſorrhoæ fluvii ſibi vendicant: ſed veræ ſapientiæ ac pietatis, literaturæ omnigenæ, & eruditionis; ſacræ, profanæ; cœleſtis, terreſtris, opibus ac theſauris ſcatet, atque affluit.

Quæ cauſa eſt, quare & famam jam dudum nactus eſt immortalem; nomenque, cujus non niſi ipſo cum rerum excidio ultimo gloria aboleri queat. Novi, *Auditores*, nihil in auribus ingenuæ virtutis æquè odioſum, ac propriæ jactationem laudis eſſe. Sed cùm tamen locus aliquando recenſendis donis, dotibusque; arte vel naturâ acquiſitis, detur; haud invidioſum eſto nobis, Univerſitates hîc aliàs in comparationem advocare; atque, an dotium vel ornamentorum reſpectu, ulli facilè cedere hæc noſtra neceſſum habeat, ſtatuere.

Neque enim exiſtimandus eſt laudatiſſimi nominis, Eberhardus, utcunque Comes adhuc illo tempore; ſed opulentiâ tamen redituum, & provinciarum amplitudine, Principi jam dudùm exæquatus, Filiam hanc ſuam, hanc unicam; nam & de cætero absque hærede deceſſit; tam ſpecioſam, tam egregiè undiquaque efflореſcentem, *Filiam*, dote pudendâ, aut erubeſcendâ ullatenus, ditare ac dotare voluiſſe. Igitur, quod aliàs in procatu omni, de judicio vulgi, primum & palmarium eſſe ſolet, opes illi & alimenta, *reditus tales & Privilegia*, addidit, qualia jactare tùm antiquiſſimæ orbis terrarum, principesque Academiæ, Pariſienſis, Bononienſis, Lipſienſis, quæque ſunt inſuper, potuerunt. Equidem haud abs re, etiam *alimentorum nomine, præmium artes nutrire*, Caſſiodorus ait: fermeq; Principes, ut quisque in amorem & favorem literarum propendit magis, proſpicere quoque literatis de nutricatu neceſſario, opulento, honorifico, in more habuit. Nam quid ego, celebres hîc à liberalitate ac munificentiâ in Muſas, Magnates; Alexandros, Ptolomæos, Auguſtos, Veſpaſianos, allegem? Par ſcilicet iſtis, *Dux Optimus*, quam ornare *Virtus* undique *Clariſſimus* voluit; Academiam à prima ſtatim origine etiam Fiſco ſuo, & quaſi *patrimonio*; eoque lauto ſatis & opimo, ex pecuniis ſimul, ſplendidisque pagorum atque oppidorum reditibus conſtante, donavit & inſtruxit. In quo cùm magnum ſit, de certitudine poſſeſſionis, ac proventuum nunquam dubitare; non minùs eſt judicandum, in diſpenſatione & uſu ejusdem aliunde non dependere. Huc enim ex inſtituto Prudentiſſimi Fundatoris, induſtrii hinc inde per pagos & rura *Quæſtores*; huc, eorundem Præſes & Gubernator, Academiæ *Syndicus*; huc quatuor Facultatum *Deputati*, quorum inſpectione, curâ & conſilio, tota res œconomica adminiſtratur, & dirigitur; huc deniq; Deputatorum *Supremus* pertinet, cujus arbitrio impenſæ omnes ac expenſæ, omnis redituum ſubſiſtentia & apparatus, incrementum omne, & detrimentum Fiſci ac Patrimonii, ſubjacet; cujus tamen nec ipſa ſunt adeò arbitria ſoluta, quin ſuis cum Aſſeſſoribus & Collegis ad nutum juſſumque Senatus recurrat ſubinde, inque gravioribus negotiis deciſionem expectet. Nec verò conſervandi, augendique Fiſci hujus cura & ſolicitudo Ducibus *Succeſſoribus Inclytis* defuit; quorum ex ordine *Divus* illico *Vlricus*, nequicquam deſævientibus ſubinde in Principem Religioſiſſimum fortunæ procellis, per aggraveſcentia rerum pretia, ut adderet inſigne auctarium Profeſſorum Salariis, cunctisque proventibus Univerſitatis, curæ habuit; exemplo in cæteros usque ſuccedaneos *Principes* ſerpente, quorum cum Ordinibus Provinciæ vigilantia, pro ſartâ rectaque præſtandâ re Academica nunquam ceſſavit.

Jam, ſi progredi lubet, *Auditores*, poſtque dotationem Academiæ, ex ejusdem *Privilegiis & Immunitatibus* gloriam patem arceſſere: quàm hoc

plau-

plauſibile eidem, atque ad famæ præconium inſignioris proficuum, quod Juriſdictione gaudet omnigenâ; adeòque *Mero & Mixto*, uti Politici loquuntur, *Imperio* prædita eſt? Nempe & hoc de jure & ornamento, inter ſeptuaginta Univerſitates, quot Europa omnis numerat, paucis, ut Lovanienſi in Brabantia, Gryphiswaldenſi in Pomerania, Ingolſtadienſi in Bavaria, &, juxta nonnullos, Miſnenſium Lipſiæ, gloriari licet. Magni ſane refert, in cauſis tum civilibus, tum criminalibus, & his quidem inprimis, gratioſos Judices reperiri. Quis enim neſciat extraneorum in literatos odium ſubinde, vel invidiam, quâ etiam innocentes laborant? Atqui neque hoc periculo caret, cum jurium legumque ignari dicere ſententias debent. Quoties enim ætati, ignorantiæ, errori, aliquid indulgendum eſt? Favens ergo literatis, & Studioſæ inprimis adoleſcentiæ, *Inclytus Fundator*, proſpicere iisdem de judicii, non integritate ſaltem, ſed lenitate quoque & clementia, voluit; ac proinde ad *Rectorem*, ad *Senatum*, Viroſque juris peritos, & humanitatis amantes, jus omne in Academicos retulit; quorum iſti cauſas audiant, controverſias decidant, mulctasque & pœnas, ſi opus eſt, exigant. In quo quidem tam liberalem ſe noſtratibus exhibuit, ut non caverit ſaltem iis ab omni verbali ſimul ac reali injuria: ſed honorem etiam in ipſos, cultumque decentem, ab omnibus, poſtularit *pœnâ centum florenorum* in transgreſſores conſtitutâ. Fertur olim, multæ laudis Imperator, Veſpaſianus, cum, recens auctus imperio, Ægyptum luſtraret, Ægyptiis pro concione dixiſſe: *Haurite à me, tanquam à Nilo*; Regum eſſe, innuens, ut inſtar, exundantis illius in omnes agros, fluvii, toto orbe nobiliſſimi ac notiſſimi, in publicam ſeſe utilitatem effundant. Vel an non idem ad Scholares ſuos dicere potuiſſe Eberhardus, tantâ undique liberalitate & indulgentiâ redundans, videtur: Haurite à me Docentes, haurite Diſcentes, in ſalariis ubertatem, ab oneribus libertatem, vindictam in injuriis, in damnis reparationem?

Nec vero minùs illuſtre nomen ſibi à tot *Collegiis ac Stipendiis*, qualia inſerta Corpori ſuo numerat, Eberhardina hæc vendicat. Equidem à fundatione prima quatuor ſaltem domos Contubernales inſtituerat Eberhardus, quarum inſpectionem ſingulis Magiſtris, ex cæterorum numero eminentibus, commendarat. Sed mox ad Contubernii moderni ædes amplas & præclaras extruendas eſt progreſſus, quatuor ſphæris ſeu contignationibus conſtantes; florentiſſimum quondam ante clades Martias, Virorumque Celeberrimorum ſeminarium; cui reſtaurando, inque priſtinum nitorem reſtituendo, laboratur usque hactenus. Ejus tamen luminibus umbram *Illuſtre ſeu Theologicum Stipendium* pòſt induxit; cum præſertim à ſeptuagenario Alumnorum numero ad ſeſquicentenos illud *D. Chriſtophorus* evexiſſet. Quale Domicilium, pro alendis Verbi Divini Miniſtris, perque patriam univerſam hinc inde, imò in exterorum quoque haud rarò uſum, educendis, floret etiamnum; et eſcente indies numero, Orthodoxiæ cultu, victu opulento, doctrinâ, legibus, & diſciplinâ, facilè dixerim, cum cæteris Europæarum Univerſitatum Collegiis omnibus, incomparabile. Quid de *Illuſtri Collegio, D. Ludovici* opere magnifico, admirabili, &, ſupra quàm dici poteſt, inſigni, & eximio, dicam; Gloriæ inprimis Wittembergicæ; tum & Illuſtri cuivis, atque Nobili ſanguini, iis *artibus, quæ ad cultum magnæ fortunæ pertinent*, imbuendo, ſacro Athenæo & Palladio? Nimirum præſtat hic ſilere, quam pauca dicere. Et videri haud injuria temerarius poſſem, ſi laudes, quæ ſua jam luce radiant, ac præſtantiſſimorum ſunt Oratorum clariſſimis dudum præconiis in orbem evulgatæ, ore hîc indiſerto, & ſaltem non elingui, libare præſumerem. Nam & cæterorum me cumulo Stipendiorum, quæ conſanguineorum partim honori, partim indigorum ſolatio, *Viri magni*, ac meritis in patriam præclari, noſtrâ patrumque memoriâ, cùm ad acuendam poſterorum in ſtudiis alacritatem, tum ad augendorum Civium Academicorum numerum, ipſiusque Univerſitatis gloriam profe-

rendam, fundaverunt, obrui me prorſus ſentio; ut, quanquam vel de Fundatorum pietate ac prudentia, vel de fundationum ipſarum commodis, dicere dignè cupiam, æquà me facundia deſtitui undique videam. Verè enim, quod in terris irrigandis, ſuaviterque fœcundandis, aquæ fontium ſolent, Viri illi æterna memoria proſequendi, illi *Martini*, *Hochmanni*, *Burckardi*, *Reinhardi*, *Guttij*, *Widerholdi*, Scholam, Patriam, orbem ipſum, latè ſua iſta liberalite tinxerunt, atque ad fructus hactenus, non pro paſcendis tandem corporibus, ſed pro ipsa animorum dulci nutritione, incomparabiles, inæſtimabilesque ferendos, imbuerunt, ac fœcundarunt. Dixerim, uti fons ille Hymetto vicinus concipiendi ac pariendi facultatem etiam ſterilibus tribuere perhibetur; etiam lenta cæteroquin, & infeliciter nata, ingenia ad induſtriam hinc, & ſolertiam iſtâ munificentiâ dignam, excitari.

Sed ſunt *ſubſidia* complura alia, *ac ornamenta*, quæ, & literatæ Juventuti adjumento, & decori ac encomiis Academiæ, imputari poſſunt, prædicationem omnem meritò efflagitantia; quorſum *Bibliothecas* accenſere primò licet: qualem Univerſitas non tantùm habet majorem, atque omnium uſui certà lege expoſitam: ſed etiam Facultas Philoſophica, & cætera Collegia, peculiares, non ſine augmentis ſuis annuis bellè inſtructas Eſt deinde, quod ſtatis vicibus exercetur, *Dicaſterium Aulicum*; *Aſſeſſorum* frequentiâ, & *Advocatorum* multitudine, conſpicuum; quod, dicatæ Juris ſtudio, Juventuti exhibere inprimis fori, praxeosque ſpeculum poteſt. Sunt, qui toties, nec ſumtu adeo prolixo, cunctis in facultatibus adornantur, *Honores Academici*; ad quorum participationem ſuperiori ſeculo ſtipe & præmiis publicis Candidati invitabantur, his inter alia, miſſo in Provincias exteras, Programmati, ac promiſſioni in eo, additis verbis: *ut, neque propter audiendos cujuscunq. Facultatis libros quicquam, nec pro percipiendis inſignibus inſalitum hactenus ſit erogandum.* Taceo dignitatem *Eccleſia*, ex parochiali in *Collegiatam* ipſo Univerſitatis Initio elevatæ. Sileo *linguarum Exoticarum cultum*, totque omnis generis *Exercitia Equeſtria*, & ornamentis Civilibus deſervientia; qualia ſuis ſub Magiſtris, cùm in Academia, tum in Illuſtri Collegio, diſcere ac comprehendere licet. Ne *Viros* longè latèque *Clariſſimos*; eorum Scripta, merita, autoritatem, colloquia, & commercia, citem; quæ omnia ſi vel leviter ſtringantur, loquacem delaſſare queant Fabium, mutosq; facundos reddere; quomodo piſces vocales efficere Fons Clitorius dicitur.

Venio autem ad DUCES denique ipſos, *Patronos ac Maecenates Summos Academia*; quorum gaudere plerumque præſentiâ, frui alloquio & comitatu, audire de cathedris elogia; atque ita ire ſubinde in *Majorum* memoriam & res geſtas; noſſe tutelam propiùs, & *Clementiſſimum Patrocinium*; quantam beatitudinis partem ducemus? Vel *Inclytam Familiam* EBERHARDI III. ſolam ſi recogitemus, celebrataque exinde toties *Solennia*, iuſtitutos *Actus*, dictos *Panegyricos*, geſtos *Rectoratus Magnificentiſſimos*, quàm vel hæc ſcire ac ruminari jucundum? Audient & memorabunt poſteri *Septimam jam Prolem Ducis Beatiſſimi* Tecta Illuſtria ſubiiſſe; audient geſta *quinquies à totidem Fratribus Sereniſſimis Sceptra Academica*; eaque *continua à Tribus*; audient, in *quintum* (ô gratiam! ô benignitatem Numinis!) *ſemeſtre* continuè uſurpata *ab Uno*. Quis ergo verbis expediet felicitatem *Stirpis Eberhardina*? quis Academiæ, ipſiusque in ea *Supremi Regiminis & Rectoratus, gloriam* dignè explicabit? Vel annon ideo carere prole maſculâ *glorioſiſſimus Fundator*, *Eberhardus I.* debuit ut, numero defectum, *Beatiſſimus Reſtaurator*, *Tertius Eberhardus* compenſaret? Annon ipſo in apparatu & meditationibus *Iubilai Secundi uterque Beatiſſimus Princeps*, debuit diſcedere, ut, nullam ſeculi perfectam eſſe felicitatem, conſtaret? Annon vagire quoque in cunis *Mitiſſimi Wilhelmi Ludovici Soboles*, *Eberhardus Ludovicus*, inter primordia, & quaſi cunabula, *Seculi Academia Tertij* debuit; ut ipſis nominibus

nibus

nibus utriusque Laudatiſſimi Principis, Solus Jubilæi Solennibus auſpicia daret, quorum vel literis Chronicis annum WILHELMUS LUDOVICUS in lingua vernacula ſignarat: atque ita tot ominibus, tantâ, tamque rarâ, viciſſitudine ſignificata, gloria & felicitas *Domus*, *Stirpis*, *Academiæ*, *Eberhardinæ* duratura in ævum oſtenderetur? Prolongare vitæ dies homini Fons quidam Ægyptiorum dicitur: Ariſtoteles autem Siciliæ fontem quendam vorticis forma commemorat, in quem ubi demergantur aves ſuffocatæ, & reliqua animantia, reviviſcant. Quid niſi vota, precesque, & plauſus, ſub finem laudati *Fontis vitæ Eberhardini* conjungemus, *Auditores?* Vivant, vitamque prolongent ex voto, ſuo, noſtro, qui ſuperſunt, *Inclytiſſimi* EBERHARDI, Fundatoris Academiæ, *Poſteri*. Vivant, & *Majorum* ſuorum, qui propriis ac horundem virtutibus è tumbis usque ſuis ſpirant, & reviviſcunt, conſervent, augeant, perpetuent, decus! Vivat *tener Surculus*, EBERHARDUS LUDOVICUS, *magna ſuæ ſpes altera Romæ, ſpes Ducatus, & Familiæ*, grandiumque, quæ gerit, *Nominum* expectationem quam fecit ſeculo, feliciſſimis incrementis impleat, longævitate vincat & ſuperet! Vivat *Sereniſſimus Tutor & Adminiſtrator*, FRIDERICUS CAROLUS, partosque dudum honores Illuſtribus ac ſalutaribus in patriam curis, meritisque, longùm continuet, æternâ laude conſummet! Vivant *Excelſiſſimi Fratres*; tuque inprimis, *Celſiſſime Princeps*, JOHANNES FRIDERICE, quibus impensè ante omnia vitæ ſe hic Fons, Univerſitas hæc noſtra, obligatam ſubjectiſſimo cultu ac veneratione fatetur. Nondum dememinerunt cathedræ iſtæ, hæc ſubſellia, quoties exultarint *Fratrum Sereniſſimorum* vultu, *Sceptro Academico*, ore diſerto & vocibus. Idem jam poſſidere, ſperare, de *Tua Celſitudine* quod licet ſibi, *Princeps Florentiſſime*, ut geſtiunt verò; ut exultant! Itaque novo quidem gratatu nunc Tibi de *primo hanc in Aulam ingreſſu*; illis autem ſimul de haud intermorituris unquam pro tanto honore, gratiaque Principali, laudibus, devota ſe hæc omnia exhibent. Vobis, veſtræque *Domui*, literæ, quarum ſedem hanc modò, *Princeps Sereniſſime*, non *Alumnus* ſaltem *Per-Inclytus*, ſed Arbiter quoque, & *Præſes Eximius*, adiiſti, quicquid habent decoris, & ornamenti, æternùm conſecrant. Sed & Tibi, *Celſiſſime Princeps, Leopolde Eberharde*, Vitalis hæc Scatebra, Univerſitas noſtra, venerabundam ſe ſiſtit, vocesque gratulatorias *Hoſpiti Exoptatiſſimo* dicit. Inundet ea Vos, novos *Muſarum Cultores & Præſides*, deſideratis Studiorum progreſſibus. Glorioſum ſibi ducat, *Academia cum Illuſtri Collegio*, in avita Vos, quanquam ſponte currentes, veſtigia duxiſſe. Gaudeat *utrumque Corpus Inclytum* cultu ſimul veſtro, & præſidio. Denique vitâ, felicitate, jubilis affluat perpetuis, *Auguſtiſſimum hoc & Splendidiſſimum Auditorium* univerſum, quod celebrati haud ita pridem, *Jubilæi Memoriam* etiam modò placidè hîc obiit: beatæque tandem inter ſuperos æternitatis, & vitæ, vorticibus abſorbtum, celebrare Jubilæos cœleſtes, ſine fine longos, ſine metu ſecuros, ſine mœrore jucundos & glorioſos, mereatur!

Lob
Des Wirtembergiſchen Lebens-Brunnen/
Oder
Wieder-Gedächtniß

Des vor vier Jahren / bey Löblicher Hohen-Schul Tübingen / auff den 22. Weinmonats/

Zu jährlicher Begängnüß feyrlichſt begangenen

Jubel-Feſts/

So daſelbſt

Im Neuen Saal / oder Theologiſchen Lehr-Gemach/

Bey anſehtlichem/ von

(Tit.)

Hn. Marco Chriſtophoro Welſer / Patritio Auguſtano,
Hn. Chriſtophoro Laurentio Welſer / Patritio Auguſtano,
Hn. Marco Chriſtophoro Merer / Auguſtano,
Hn. Johanne Adamo Daßdorff / Auguſtano,

Angeſtelltem und gehaltenem

Actu Oratorio,

Mit einer Muſick angebracht / und geſungen worden.

Welch erfreuter Jubel-Thon
Mus mit ſonderem Gefallen
Unſrer Schul für GOttes Thron
Itzt von newem widerſchallen?
Diß iſt Deine Freuden-Luſt/
Tübingen/ dir längſt bewuſt.

Seit der Hertzog mit dem Bart/
Groß von ſeiner Weisheit Gaben/
Der GOtt-fürchtend' Eberhard/
Dir des Lebens Quell gegraben;
Gieng frolockend zwier empor
Dein mit Danck erfüllter Chor.

Zwier ſchon gabſtu aller Welt/
Und GOtt Dein Lob zu erkennen/
Wann der groſſe Kreiß itzt fällt/
Und die Jahr' ergäntzt ſich trennen.
Dieſer Danckbarkeit Gebühr
Strahlt itzt auch im Schatten hier.

Augſpurg/ Deiner Jugend Preiß
Leſt beredt ſich dißfalls hören/
Und erweiſt belobten Fleiß
Unſre Jubel-Stimm zu mehren;
Die / itzt vier Jahr / hell und ſüß
Gantz vergnügt ſich hören ließ.

Wer vermag die Flut ſo mild/
Und den Reichthum zu ergründen/
Der aus dieſem Brunnen quillt/
Und ie ſchön und nütz zu finden;
Deſſen Ruhm und Göttligkeit
Scheint und pranget weit und breit?

Dieſer mus den Erden-Kreiß/
Und den Himmel ſelbſt erbauen.
Ihm gibt ſeiner Auffkunfft Preiß/
Was nur ie belebt zu ſchawen.
Stellt wo ſolchen Zufluß ein:
Was wird grün und friſch mehr ſeyn?

O du aller Weisheit Quell/
Hier und dort in unſern Ländern/
Fleuß uns klar; kein Ungefäll
Müſſe Deine Flut Dir endern.
Gib nicht Hermus güldner Bach/
Auch nicht Tagus Strömen nach.

Rinn' und treuffle für und für;
Las uns Gold und Silber blincken.
Ach daß jeder ſolt' aus Dir
Lehr und edle Tugend trincken;
Und für Irrthum / Trug und Pein/
Dieſer Trunck Artzney mag ſeyn!

So wird auch nach dieſer Zeit/
Der hier ſchöpfft aus Deinen Röhren/
Selbſt dort in der Ewigkeit/
Satt der Welt / ſatt aller Ehren/
Bey des Lebens Strömen ſich
Fort ergetzen mildiglich.

E N D E

1060

99 952 786